

LVNÆ DIE 16 M. DECEMBRIS A. 2002

A.d. XVII Kal. Ianuarias a. MMIII

III

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE
SEXIES IN ANNO EDITA



EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE LATINA CONSOCIATIONE CONDENDA

Impressione operis nostri, « Species Algarum » inscripti, non nostra culpa sed infelici casu, abrupta, hanc sciagraphiam nostræ algas disponendi rationis evulgare coacti sumus. Illam tamen ita publico tradere voluimus, ut simul esset encibiridion Algologiæ universalis et introductio ad historiam huius maxime memorabilis classis plantarum. In quo vero nostro systemate, si nonnumquam a ceteris auctoribus discedimus, id nec pruritu novitatis neque contemptu operæ aliorum algologorum nostri temporis, qui omnes fere amicitia arcissima nobis iuncti sunt, nos fecisse manifestum est.

Accedit difficultas ipsius studii barum plantarum, domicilium earum demersum, tenuitas partium, raritas fructus, mutatio plantæ extinctæ, impossibilitas culturæ, fallacia microscopii atque status chaoticus ipsius algologiae hodiernæ. Quæ impedimenta profecto multo magis nos retinuerint, nisi botanicis clarissimis maximopere fuisse sublevati...

C.A. Agardb, *Systema Algarum, Lundæ, 1824*

In Grege Latine Loquentium, impellente Avito Gratio Garseio, recentissime propositum est ut Latinistæ qui sermonem vivum colunt idque latius diffundere cupiunt artius coniungerentur. ¶ Optimum propositum, de quo iam diu cogito. Latinistæ enim, quorum nostris temporibus munus est linguam Latinam sive in studiorum universitatibus sive in scholis docere, eius usum amiserunt ; inde fit ut sermonem vivum despiciant et timeant. Hi soli a regentibus agnoscantur ; multi eorum infestissimi sunt alteris multo paucioribus, quos vividos Latinistas appellabo. Cum plurimi plurimum valeant, vividi Latinistæ impotentes manebunt, tamdiu quamdiu suam propriam organizationem non habebunt. ¶ « Quid facilius quam huius modi organizationem instituere ? » dicet fortasse aliquis. « Nonne hi omnes suas vires coniungere cupiunt ? ». Re vera, non patet singulos cum ceteris societatem coire velle ; obstant enim nonnullæ res. ¶ Imprimis, adhibentne omnes eandem linguam ? De hoc dubitare licet, cum symbolam legimus ab optimo sodale Volfgango Jenniges conscriptam et in hoc fasciculo divulgatam. Certe oportet, ut ille monet, aureus Romanorum sermo fundamentum sit omnis posterioris Latinitatis ; quare ego etiam censeo summorum Latinitatis auctorum opera legere esse perutile et insuper iucundum. Quod tamen necessarium non est ut aliquis Latine emendate loqui et scribere valeat. Nolimus præterea oblivisci scripta ab Antiquitate traditiona plerumque non esse speculum sermonis usualis, sed potius documenta linguae artificiosæ exquisitæque. Licet ergo antiquos auctores imitari delectationis causa, sed exigere ut omnes hodierni eorum scribendi modum adhibeant necessario ducet ad multorum animi demissionem. ¶ Magna est vividorum Latinistarum diversitas ; sunt enim, qui etiam de rebus hodiernis disserere nolint, nisi locutiones ipsaque verba Ciceroniana adhibeantur ; sunt alii, nimia temeritate prædicti, qui neque grammaticam classicam respiciunt, neque traditam consuetudinem novorum vocabulorum fingendorum. ¶ Infra huius symbolæ titulum exhibetur exemplum Latinitatis scientificæ undevicesimi sæculi. C.A. Agardh, Suetus operis auctor professorque in studiorum universitate Lundensi, ostendit usum lin-

guæ Latinæ tunc nondum amissum esse ; contra opinionem falso divulgatam, hic usus magis diutiusque viguit in regionibus in quibus lingua vernacula non sunt Romanicæ. Multitudine operum eiusdem generis etiam demonstratur linguam Latinam non esse linguam solius Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ut maligne divulgatur in Francogallia. Lingua exhibiti exempli est simplex et dilucida, necnon ad normam classican accommodata. Hæc simplicitas non ex ignorantia oritur, sed consulto adhibetur ab auctore qui litteras exquisitas amat ; nam in exergo *Systematis Algarum* posuit hæc Horatii verba : *Nos cantabimus invicem / Neptunum, et virides Nereidum comas* (O., III, 28, 9-10). ¶ Hanc simplicitatis viam ipse elegi et valde gaudeo si quis mihi dicit verba mea facile et clare intellegi. Suadeo ut exemplum linguae scientificæ generaliter sequamur, quæ, quamdiu floruit, arte congruebat cum necessitatibus sui temporis. Ineptum est, exempli gratia, modo Romanorum computare, cum iam complura sæcula in area Latinitatis maximo cum fructu adhibeantur signa et operationes Indicæ per orbem Arabicum allatae. Quibus signis usi sunt maximi mathematici usque ad undevicesimum sæculum scribentes. ¶ Hæc pauca de lingua. Quid deinde de vividorum Latinistarum consiliis ? Magna etiam est diversitas inter eos, qui tantum delectationis causa Latine scribunt vel loquuntur, et eos, qui cogitant de lingua Latina tamquam lingua officiali totius Europæ instituenda. Illi sunt lusores, his somniatores. ¶ Valida consociatio tantum constare potest ex hominibus, quibus sint proposita similia, rationabilia et efficacia. Consociationi, si conditur, opus erit proposita sua quam latissime publicare, ut omnes cives sciant quem ad finem res tendat ; curandum etiam erit ut quam plurimi homines linguam Latinam discant atque in dies plura attractiva et audire et legere possint Latine. ¶ Suadeo ergo ut imprimis ea consilia definiamus, quibus quam plurimi vividi Latinistæ assentiri possint et operam dare velint. His condicionibus non dubito quin pondus Latinitatis vivæ celeriter augeatur. ■

Gaius LICOPPE

DE LATINITATIS PROVEHENDÆ

VIIS ET RATIONE

In Grege Latine loquentium, qui est in rete universalis constitutus (<http://digilander.libero.it/Marziale/Grex/nexus/cone.html>), septimanis proxime elapsis acriter disputatum est de variis inceptis quibus publicum Latinitatis pondus et momentum in Europa amplificentur atque augeantur. Ad hunc Gregem sodalis noster Wolfgangus Jenniges de Latinitatis provehendæ viis et ratione epistulam misit, cuius potiora infra referentur. De ipso autem Grege in lectorum usum hæc iuvat proferre quæ in ipsa Gregis pagina interretiali retulit Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis :

Computatra vel ordinatra Latine dicuntur ea mirifica instrumenta, quibus hodierno tempore plerique ad incepta perficienda atque administranda utuntur, ut res cuiusvis generis celerrime expleantur. Quare nihil mirum si, inter sescentas hominum consociationes communicantium per interrete – quo vocabulo Latine redditur illud Anglicum, quod est « Internet » –, quædam exstat sodalitas, cuius participes linguam Latinam adeo colunt, ut in epistulis scribendis eam usurpent. Quæ sodalitas appellatur Grex Latine loquentium, quem adulescens quidam Polonus, nomine Conradus M. Kokoszkiewicz, miro erga Latinitatem amore incensus atque artis informaticæ, quæ dicitur, peritissimus, mense Februario anni MCMXCVI (vel, ut ipse præfert, a. MMDCCLVIII ab Urbe condita) Varsoviæ condidit. Sed, ut multa contra spem in humanis rebus solent obvenire, inopinato casu atque infasto accidit ut, ineunte hoc anno bis millesimo, moderatrum Varsoviense operari desineret. Gegalibus hac de causa silere coactis ac magis in dies anxiis insperatum auxilium tulit sodalis Humbertus La Torraca, vir Neapolitanus eximia in literis Latinis doctrina instructus, qui consilium alterius Gregis condendi opportunum ac necessarium cepit. [...]

Alter Grex cum vetere est coniunctus quod ad fines et quod ad gregales attinet. Ut enim in illo quem Conradus considerat, ita hoc in Grege licet unicuique sodali de omnibus rebus disserere. Cuius quidem rei documentum est magnus epistularum numerus, quæ circiter quadriennium a plerisque huiuscet sodalitatis participibus missæ sunt atque acceptæ. Qui de variis rebus scripserunt et cottidie scribunt (de historia, de spectaculis cinematographicis, de novis vocabulis, de sibibus interretialibus ad Latinitatem spectantibus, de instrumentis quoque ad vitam cottidianam attinentibus, quibus homines hodie utuntur [...]). Neque defuerunt qui acriter disputarent de pace deque bellis : talia enim argumenta eiusmodi sunt, ut facile inter se discrepant etiam gregales. [...] Variæ artes a sodalibus exercentur, qui sunt Americani, Britanni, Francogalli,

Hispani, Iapones, Slavi, Theodisci etc., qui que litterarum Latinarum studio adeo sunt intenti, ut nemo eorum et earum – sunt enim hoc in Grege non paucæ mulieres eademque doctissimæ – dubitet quin omnia Latine dici possint.

Quo quidem epistularum Latinarum commercio illud luce clarius patet, non modo inter computatra et sermonem Latinum nullam extare inimicitiam vel adversitatem, quin etiam ex huiusmodi instrumentorum usu multum Latinitatem proficere posse. Nam omnibus et veteris et Gregis huiuscet sodalibus hoc est persuasissimum, linguam Latinam minime mortuam esse, quamquam non pauci inveniuntur qui, dum antiquorum instituta et mores curiose perquirant, eam aut omnino damnent aut stulte despiciant. Hac de re sunt quædam admonenda : sacer sit in primis cuiusvis gentis sermo patrius, quem qui amiserit sciat se vel Patriam amisisse vel negavisse ; quare nullus huius Gregis particeps linguam Latinam aliis populis ut dominam imponere audet. Illud nihilominus omnes gregales pro certo habent, linguam unam esse necessariam, qua homines quidam docti inductive inter se colloqui valeant, ne quis tot linguas perceptas habere cogatur miserrimus, quot sunt nationes cultæ. Quæ igitur lingua subtilitate et gravitate cum Romanorum sermone certare potest ? Cum ea, inquam, lingua pernibili et copiosa, quæ mentis cogitata et animorum sensa, etiam de rebus recens inventis, non tantum exprimit, sed potius sculptit.

Ex epistula Wolfgangi Jenniges pridie Kalendas Novembres anni vergentis ad Gregem Latine Loquentium missa :

[...]

De documentis scriptis Europæis cum haud semel sit actum inter nos, opportunum videtur monere leges esse Europæas quæ nulla interposita mora, eo ipso quod a supremo Administratorum Publicorum consilio approbantur, legis instar in quavis civitate socia valent. Aliæ sunt quæ a Confœderationis sociis civitatibus sanciantur oportet.

Leges sunt maxime variæ ; agitur de ciborum substantiis geneticis, quas vocant, quæ admittantur, vel non admittantur ; de vi formaque luminum quibus rædæ sunt instruendæ ; de auxiliis huic vel illi sociæ civitati tribuendis agri culturæ fovendæ causa, vel ferreæ viæ amplificandæ, vel studiorum quorundam provehendorum ; de variorum negotiis inter se coniungendis deque huius coniunctionis ne quid detimenti libera mercatura capiat condicionibus ; de vectigalibus ad aërea

QVÆSTIONES HODIERNÆ

spectantibus itinera inter se conformandis ; et ita porro.

Patet ergo hæc omnia, ut servetur iustitia neve
æquitas lædatur, a quolibet cive, propria lingua, et legi
et sciri posse atque ad effectum deduci oportere.

Quid nunc si Latine, et Latine tantum, exstaret hæc
lex vel illa, quis eam legeret ? quis intellegerer ? quis
curaret ?

[...]

Sed non de nostra ætate loquimur, dicet aliquis,
ferrea nempe et inculta, cum ne scurra quidem Latine
sciat, de illa aurea loquamur, quam somniamus, futura,
veterum vestigia iterum secutura !

Etenim qui nostris temporibus Latinitatem omni-
modis promovendam censem et propagandam – equi-
dem promovendam censeo et propagandam, sed non
quovis modo –, libenter (neque immerito) ad illa se
tempora referunt peracta et in Historiæ orcum delapsa,
quibus lingua « ubique », sic aiunt, adhibebatur Latina.
« Ubique » adhibebatur ubi lingua (i.e. plerumque :
scriptis documentis) erat opus et ubi commercium
quoddam necesse erat : scilicet inter illius ætatis viros
doctos. Perpauci erant viri docti (et pauciores mulieres
doctæ – non propter ipsas, sed propter quasdam condi-
ciones illis temporibus proprias), et insuper hoc satis
erat : illis enim temporibus perpaucis doctis erat opus.
His autem centum annis proxime elapsis nemo est
qui videat magnas esse mutationes in re publica nos-
tra factas et res evasisse multo intricationes. Omnibus
nostrum (et doctis et indoctis) scriptis, i.e. lingua, est
opus. Sesenta documenta sunt ad sesenta negotia
necessaria. Ubique scripta et dicta, i.e. linguæ,
apparent : in viis, in cauponis, in tabernis, in nuntiis
periodicis, in televisione vel telehorasi, in rete univer-
sali. Nemo nostrum, ne indoctissimus quidem, sine
lingua, plerumque scripta, commodam et facilem potest
agere vitam. Sæculo, puta, duodecimo, nihil huius-
modi : in vicis unus fortasse aut alter titulus legi pote-
rat in ecclesia, aut in fronte cuiusdam domus nobilis,
et actum erat ; nulla vel vix ulla in capona vel taber-
na inscriptio, nullus vel vix ullus nuntius neque perio-
dicus neque alias, nulla telehorasis, nullum scriptum.
Illa ætate ducentis vocabulis vernaculis facilis vita et
commoda agebatur. O felicia tempora, cum sine litteris
vivere, sine grammatica mori licebat !

Est autem nostra ætate pondus et momentum
(cuiusvis) linguæ multo maius multoque gravius, quo
patet multo difficilius esse consuetudines (et mentium
formas ! et inveteratas opiniones ! et iudicia
præsumpta !) quæ ad linguas spectant adhibendas dis-
cendas colendas spernendas mutare, præsertim si ses-
centies centenis milibus hominum alia prorsus et nova

ex improviso addiscenda esset lingua. Multis enim in
Europa civibus, ut aperte loquar, Gallis, Anglis, Italis,
Germanis, Belgis, aliis, linguarum nulla est cura, nul-
lius eis est numeri linguam aliorum populorum addis-
cere – suam ipsius non numquam vix norunt – et ad
cultum civilem atque humaniores aliorum litteras acce-
dere, Gallus ad Germanum, Germanus ad Italum,
Italus ad Anglum, Anglus ad Hispanum, ... – tales res
plerique non flocci faciunt : cur nunc illa sescenties
centena milia hominum, nisi miraculo quodam, ad ...
Latinitatem sese converterent ?

[...]

Ceterum si hæc omnia Latine redderentur, quali
Latinitate essent reddenda ? Quæ et qualis esset in
commerciis publicis Europæis Latinitas, in colloquiis
legatorum, in commentatiunculis virorum peritorum,
in relationibus rem publicam regentium, in nuntiis
publicis usurpanda ?

[...]

Verba iuvat illa perdigna quæ memorentur in men-
tem revocare quæ vir doctus Antonius Bacci Italus [...]
abhinc scripsit annos fere sexaginta [...] (in epistula a.
1943 ad alumnnum data) :

« Procul dubio oportet aureum Latii sermonem
callere ; quod nemo profecto potest, nisi summos
Latinitatis auctores ita sedulo diligenterque perlegerit,
ut iisdem plane fuerit familiaris factus. Id si feceris,
non difficilis, non in angustiis hesitans, non insiticiis
infecta vocibus, sed germana, sed teres, sed tornata, ex
mente, ex ore, ex calamo tibi fluet oratio.

Ac non mediocri etiam tibi auxilio fore experieris
optimum lexicon, forcillianum præsertim, ‘noc-
turna versare manu, versare diurna’. Cum potissi-
mum aliquid ad dicendum tibi præsto non est, ne
concidas animo, ne ad quælibet tibi in mentem vene-
rint verba configrias ; sed impigre insta, inquire, per-
vestiga, atque ita sæpen numero contingat ut tibi, quasi
suffodienti, ex improviso thesaurus succurrat antea
prorsus ignotus. (...)

Contingit autem ut, qui etiam apprime sit latinis
litteris excultus, anceps interdum hæreat, opportu-
namque ad rem novam significandam non inveniat
vocabulum, quippe quæ reapse desit. Tum etiam non illico
est ad græcum fontem recurrentum ; neque ad alias
externas oras festinanter appellere opportunum est ;
sed antea et potius considerate videndum si res per
consentaneum verborum ambitum circumscripte
satis clareque enuntiari queat. (...)

Non semper tamen opportunum est circumlocu-
tione uti ad aliquid novum vel dictu difficile signifi-

candum. Id enim interdum vel nullo congruenti modo fieri potest, vel ob nimium verborum congestum, rei enuntiandæ necessarium, tam magna æquo expeditoque orationis cursui repagula opponit, ut eam summopere retardet, atque adeo concinnitatî venustatique graviter officiat. Hisce igitur in adiunctis licebit tandem fictas nuper ex græco fonte haurire voces, parce quidem detortas, hoc est latinis auribus apte accommodatas. »

Et alio loco (ex præfatione lexici sui, a. 1955) :

« Aliud præterea opportune heic mihi animadverendum videtur, quod non omnes recte, meo judicio, clareque perspiciunt. Non desunt siquidem qui Latinitatem universam – priscam nempe, seriorem, cadentem et infimam – ita in suis scriptis implicent atque permisceant, ut aliiquid ex eorum calamo oriatur non venustum, non consonum, sed tam absonum atque abnorme ut religiosas aures offendat. (...) »

Ita, verbi gratia, ‘dependentiam’ ponunt, ‘independentiam’, ‘competentiam’, ‘incompetentiam’, ‘plenum’, ‘filiale’, ‘secretarium’, ‘respectivum’, ‘præcedentiam’, ‘Gubernium’, ‘visibilem’, ‘invisibilem’ et cetera eiusmodi ; unaque simul cum hisce senioris, cadentis, infimæ ac barbaræ linguæ latinæ vocabulis voces dictionesque conserunt, quas ex vetusta romani eloquii ætate mutuantur, quasi perabsurdo hoc modo sua scripta velint aliqua elegantia nobilitare. Sed non animadvertisse ! Aptius profecto fecerint si eadem semper lingua, seriore nempe vel infima, sibi constantes, scripserint. Quo enim modo eum judicaverint, qui, hodierno Italiae sermone loquens vel scribens, aliiquid fuerit ex tertii ac decimi, aliiquid vero ex vice-simi sæculi scriptoribus mutuatus ? Jamvero, idem profecto dicendum est, eodemque modo est judicandum, cum de Latinitate agitur. »

Hæc verba aëneis essent tabulis incidenda.

Ne quis dixerit tardum hoc eloquium et difficilius et laboriosum temporibus nostris et usui nostræ ætatis non convenire. Agreste Latium (ipso teste Cicerone) si tardius loquebatur, si difficilius, si laboriosius, nobis, qui hunc pernobilem, neque alium, in usum nostrum volumus usurpare sermonem, non est festinandum neque facilior via seligenda. Nostra ætate præcipitia omnia, in superficie tantum hærentia, atque celerrimum quodque videtur optimum ; absit ! Nolimus festinare ! Num nobis tantum loquimur aut scribimus ? nonne posteris quoque ? et maiorum Manibus ? – Et trium voca-

bulorum ambitus quid est sub specie æternitatis ?

Indoles, si hæc est, Latini sermonis propria (« idiomæ » quod Græce vocamus), aut omnino est respicienda, aut ab hoc sermone est abstinentum. Tertium non datur ; Latine qui loqui aut scribere vult, i.e. mentis suæ cogitata Latii sermonis induere formis, nullum pigritiæ tribuat locum. Studeatur ergo optimis scriptoribus, adhibeatur, si necesse sit, verborum quidam ambitus ; iuvet pede haud citato in Latinitate adhibenda prosequi, optimum quemque ex antiquis aut recentioribus æmulari scriptorem, vocabula novata caute adhibere. Etenim sic nobis loquendum videtur, ut antiquus, si adisset, nos intellegerer Romanus (verba oportet intellegat, non necessario res quæ novæ sunt). Absit autem hoc malum, ut ita Latine loquamur aut scribamus, quasi Gallicitas esset, aut Germanicitas, aut Italicitas, aut aliud, Latinis illita vocabulis.

Tria igitur restant facienda antequam ad somnia revertamur linguæ communis publice renuntiandæ :

Primum unicuique nostrum sedulo atque indefesse est laborandum ut veri Romanorum sermonis efficiamur quam maxime familiares. [...]

Dein decernendum est qua auctoritate nostræ ætatis vestibus induenda novanda aptanda Latinitas custodiatur sæpiatur circumscribatur. Fuisset hoc munus Academiæ Romanae Latinitati fovendæ. Cuius Academiæ facta novimus neque ignoramus infecta. Tamen id genus Institutum, ab omnibus agnoscendum, istius Academiæ instar pernecessarium videtur, quo, arte philologica necessario nixum, firmum extet et stabile et commune Latinitatis quæ nunc est munimentum.

Postremo secundum has normas atque optimæ verique nominis philologorum scientiæ vestigiis inhærens universa est in Europa institutio Latinæ linguæ et in scholis et in academiis funditus renovanda et instauranda – et in Italia felix vidimus et laudabile exemplum, feliciora et laudabiliora exspectamus – « summique Latinitatis auctores ita sedulo diligenterque perlegendi, ut iisdem plane familiares » fiamus, alumnique ita educandi, ut intra viginti annorum spatium tot simus in Europa linguæ Latinæ periti quibus « non difficilis, non in angustiis hæsitans, non insiticiis infecta vocibus, sed germana, sed teres, sed tornata, ex mente, ex ore, ex calamo fluet oratio ». ■■■

Tunc, neque antea, ad auctoritates scribendum Europæas (si modo existent adhuc improbi illi viri qui res publicas gerunt ...) et litteræ dandæ quibus publica nobis renuntietur Latinitas. Nam considerati viri non est tectum extruere, nisi prius posuerit fundamentum. ■■■

DE PVERIS INFORTVNIIS OCCISIS

- *scripsit Christianus Laes* -

Mortes infelices funeraque acerba illorum puerorum qui infortunio quodam immature vita sunt erepti, si hac in acroasi¹ sum tractaturus, vereor ne fortasse vobis videar vir tristis atque lugubris.


Est hoc tamen thema scitu dignissimum, cam-
pusque vix exploratus qui nos multa ad vitam cottidia-
nam antiquam pertinentia edocere potest. Quod iam
bene perspexerunt periti historiæ ætatis mediæ quæ
dicitur, qui compluribus milibus documentorum enixi
conspectum mirificum proposuerunt qua ætate pueri in
temporibus medii ævi in quales labores incumberent,
in quibus difficultatibus necnon periculis versarentur,
quæque differentiæ inter pueros puellasque hac in re
exstarent².

Talem autem conspectum quod attinet ad antiquita-
tem Romanam nullo modo posse exhiberi in ipso initio
clare et distincte ponendum est, ne statim spem vobis
fallam. Obstat enim penuria fontium. Utut id est,
nobis in documentis litterariis, epigraphicis papyrologi-
cisque grassantibus testimonia præbentur mira atque
lectu iucunda quorum nonnulla hic exhibere lubet.

1. Documenta papyrologica

Ex urbe Oxyryncho, aurifodinam illam dico sci-
tiæ papyrologicæ, epistulam quandam cognovimus
anus infelcis e primo vel secundo sæculo, quam sic
Latine vertar :

« Thermouthion, Plutarchi filia ex urbe Oxyryncho Asclepio (?) tribuno salutem dicit.
Est mihi ancilla, domi nata, cui nomen Peina. Eam dili-
gebam atque curabam velut si esset mea filia, sperans
fore ut mihi adjumentum præbeatur in senectute. Sum
enim mulier solitaria quæ nullius auxilio nisi possit.
Die undevicesimo mensis præteriti, cum illa puella
urbem ingrederetur ad prælectiones artis musicæ alia-
rumque disciplinarum, eam comitata est Eucharis quæ-
dam, Longini liberta, pædagoga. Mihi, domo vix egre-
dienti, puellam rettulit pædagoga, manu in fascia involu-
luta. Mihi roganti quid accidisset, declaravit eam asino
cuiusdam Polydeucis esse proculcatam, manum ex hoc
facto esse contritam, totum corpus tuberibus esse plen-
num, vixque ei superesse facultatem loquendi. Illo
autem temporis momento, cum nullus tribunus præ-
fecturæ esset nominatus, neminem iudicio persecuta-
sum, putans vernam meam ex vulneribus receptum iri.
Nunc vero vulnus insanabile videtur. Dolorem puellæ
ferre non iam possum, est in summo discrimine vitæ,
nec iam mea interest vita mea. Tu, si factum inspexeris,
indignatissimus eris. Quapropter ad te me confero ut



Libertus Eutyches (c. 193-211).
Neoeboraci in Museo Metropolitan.

me defendas, ut auxilium mihi feras ac benevolentia
tua uti digneris. » (P. Oxy. 50,3555).

Est hoc documentum ex vita ipsa depromptum
atque quasi unicum, quippe quod bonum nobis offerat
conspectum condicionis hominum ætate proiectiorum
in societate antiqua. De commodis atque dignitate
senectutis multa proponunt philosophi antiqui, de vitæ
cottidianæ dura realitate maioris partis hominum vix
unum verbum proferunt.

Confirmatur etiam hoc documento verus amor
illius servulæ quæ iam quasi propria filia facta sit. Qui
amor propter causas œconomicas (gerotrophiam vocant
antiqui auxilium vel curam seniorum) non minuitur
neque extenuatur. E contrario, quo sine puella vix
vivere potest Thermouthion, eo diligentius puellam
fovet atque in deliciis habet.

Sunt alia documenta papyrologica scitu dignissima
quorum translationem, tempore et spatio urgente,
nunc supersedeo. Legimus de pueri qui anno 183 cum
tribus bubus patris sui in via viro protervo obvius fac-
tus est et fuste cæsus. Postea idem vir eodem fuste
boves in canalem pepulit ubi unum animal a crocodilo
devoratum est (P. Tebt. 3,1,793 col. 17-28).

Notandum etiam est testimonium anni 182 ex parvo
vico Ægyptiaco c.n. Senepta. Ibi, in festivitate quadam,
puer octo annorum aspectu pulchrarum saltatricum
singulariter delectatus, fenestra tabulati superioris

enixus est ut feminas melius adspiceret. Post quæ lapsus est et infelici mortem obiit (P. Oxy 3,475, 13-25).

2. De infortuniis et operis puerorum

Iam dixi documenta de infortuniis interdum fontes esse qui spectent ad operas impuberum. Quod ut exemplis firmem, nonnulla hic afferam loca.

Pueri in vindemia videntur esse occupati, ut ille infelix Plutus, annos natus tres, qui necopinato est suffocatus illa re quæ Græco verbo οἰνη significatur. Eum nimia copia uavarum stipitum esse oppressum nonnulli credunt, ei spiritum et fauces esse interclusas propter uvam alii contendunt, sunt etiam qui credant eum mortuum esse propter nimiam vini portionem. Alii aliter censeant (Véritrac, 93).

Gymnasium erat locus ubi ditiore semet ipsum corpore et mente ostentare poterant. Ibi etiam pericula non deerant ut hac in inscriptione metrica docte et eloquenter describitur :

Bis mihi septenos ætas ostenderat annos
Certaque iam nostri fama pudoris erat,
Cum subito mortis, pro fallax, causa fuisti
Lusus et æqualis non inimica manus.
Nam temere emissus non ad mea funera clavus
Hæsit et in tenero vertice delituit. (CLE 1198, 5-10).

Pueros iam sat mature, id est ab anno tertio vel quarto ad vitam marinam esse aptos, ipse testatur Galenus magister medicorum antiquorum (*De sanitate* 1,8 ; ed. Kühn 6, 37-38), cuius rei alia sunt testimonia sicut ille Epanodes ex insula Amorgo qui, anno sexto nondum expleto, matri suæ ultimo valedicit, cum patre nave proficiscitur, nec iam revertitur. (Véritrac, 97).

3. De infortuniis et vita cottidiana

Maior autem pars inscriptionum non agit de operis. Tanguntur autem condiciones vitæ cottidianæ, duri flexus fati. Agitur de terræ motibus, de domuum ruinis, de lapidibus vel tegulis cadentibus. Nicomediæ, in civitate Asiae Minoris, pulcher extat lapis cum imagine necnon inscriptione. Pædagogus una cum discipulis ibi est sepultus qui, terra vehementer movente, pueros suo ipsius corpore protexit, una cum eis obrutus est et post mortem gratias æternas parentum accepit³.

Durum et acerbum fatum etiam Cleophoni cuidam evenit qui post longum spatium temporis domum rediit :

« Cleophon ex alienis terris rediit. Infelix, venit ut fatum filii et uxoris spectaret. Iterum vidit quibus tam vehementer carebat. Atroci vero nocte domus corruens tres habitantes sepelivit. Solus servatus est. Nunc vivit ut lugeat. Flet filium amissum, uxorem mortuam, vicinia perdita. » (Véritrac, 91).

Etiam difficultates commeatus antiqui non erant ignotæ, sicuti appareat ex exemplo hoc :

Parvolus in gremio communis forte parentis
Dum ludit, fati corruit invidia.
Nam trucibus iunctis bubus tunc forte noveli
Ignarum rector propulit orbe rota.
Mæstu uterque parents postquam miserabile funus
Fecit, inferis munera suma dedit (CLE 1059, 1-6).

De periculis natationis supersunt exempla aliqua : M. Ulpius Firmus, puer novem annorum mortem obiit in Tiberi (CIL 6, 29195), alii puero thermæ habebant eventum fatalem.

« Daphnus et Chryseis Laconis liberti Fortunato suo v(ixit) a(nnos) VIII balneo Martis piscina periit. » (CIL 6, 16740)

4. De sollicitudine antiquorum

Hac acroasi ad finem vergente, non absonum esse videtur perquirere an tales casus, mortes dico puerorum infortunio partas, parentes eximia sollicitudine adfecerint, an quasi « centrum anxietatis » (ut aiunt sociologi moderni) fuerint. Quod ut apte respondeamus, oportet habeamus seriem testimoniorum, tabulas in quibus omnes infortuniorum casus accurate colliguntur. Hoc munus difficillimum, interdum vere arduum et laboriosum, nobis præstiterunt nonnulli historici Hispani. Ex eorum investigationibus de mortibus singularibus appareat pueros puellasque tantum parvam partem totius corporis testimoniorum obtainere. Mercatores et militares sæpius in monumentis sepulchralibus testificantur se mortem quodammodo singularem obiisse, quod sane minime mirum illi videtur qui condiciones vitæ eorum respexerit. Virorum plus mentio facta est quam mulierum. Impuberis tantum decimam partem collectionis tenent.

Hæc conclusio qua ponitur mortes singulares puerorum hominibus antiquis numquam tanti curæ fuisse quanti hodiernis, corroboratur fontibus litterariis. In libro quod « Oneirocriticon » inscribitur, in mira illa collectione in qua Artemidorus somnia sesenta pro

suo ingenio explicare conatur, mortes infantium locum minime parvum obtinent. Non semel adfirmatur pueros ante parentes mortem obire (*On. 1,13*). Mulier quædam septies peperit, omnesque vero infantes perdidit cum adhuc fasciis essent involuti (*On. 5,73*). De casibus infelicitibus vix quicquam comperimus, excepto patre illo qui filium perdidit post casum fatalem in flumen quoddam, vel alio patre qui duos pueros amisit cum latrones domum spoliarent (*On. 5,73 et 5,84*).

Simili modo res se habent in libris astrologicis, in Anthologiarum libro scilicet illius Vettii Valentis. Capitulum de mortibus violentis (βιαλοθανάτοι Græce dicitur) ne ullius quidem infantis mentionem facit (*p.129-131* ed. Kroll).

Thema ergo impuberum infelicitter mortuorum antiquis hominibus nimiæ curæ non esse videbatur. Sæpius, si casus enarrantur, in inscriptionibus metricis apparent ubi non tam ætas defuncti quam condiciones mortis absonæ vel absurdæ lectorum animos erigunt. Cuius facti duo libri Anthologiæ Palatinæ (septimum dico et nonum) exempla plurima præbent. Ecce exemplum :

« Glaciem fluminis Ebri tempore hibernali congelati puer fregit pedibus labentibus. Quem aqua traxit. Acumen fractum glaciei ei caput abscidit, ita ut inferior pars corporis aqua coriperetur. Nunc mater caput eius, solam partem quæ in summa aqua relicta esset, sepulchro condidit. Exclamavit mulier, plurimas lacrimas fundens : ‘O puer mi. Pars tua nunc flammis consumitur, pars aqua dura et crudeli aufertur.’ » (*AP 7, 542*).

Vitam esse brevem subitoque mirum in modum posse finiri, bene intellexerant scriptores antiqui. « Is demum profecto vitam aequa lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuit » – scripsit Plinius Maior quod exemplo firmavit illius Anacreontis qui propter uvam in fauibus hærentem mortuus est et casu Fabii cui haustus lactis eventum fatalem habuit (*NH 7,7,44*).

Thema nostrum potius vice exempli moralis fungebatur, quam sollicitudinis. Quæstio restat cur sic res se habeant. Responsum autem sat facile. Tertia fere pars infantium ante primum annum completum mortem iam obibant. Dimidia pars finem ætatis anni decimi non videbat. Maior pars populi duras condiciones vitæ subibat : morbos scilicet, sorditudines. Mors semper et ubique omnibus ante oculos erat. Mors iuniorum nequaquam erat vehemens turbatio vitæ sicut est apud nos. Circumstantiæ mortis tantum animos erigebant si

erant vere miræ ac exceptionales.

Rem adhuc uno exemplo illustrabo. In Anthologiarum libro septimo Vetti Valentis vita describitur pueri qui anno quarto nondum expleto ultimum diem obiit anno 161. Iam post octo menses spasmi et membrorum distractiones ei evenerunt quibus accedebant temptationes eczematis et diarrhoeæ mensibus 15, 17, 23 et 27 vitæ suæ. A mense 28 vitæ suæ in summo discrimine vitæ versabatur, et post dolores vehementes mense 33 vita functus est. Inter hanc vitam miseram (auctor eventum quasi oblique in memoriam vocat) aliquando etiam pedem immisit in laqueam animalium ex quo casu vulnera per totum corpus accepit. (*p.284,12 – 285,3* ed. Kroll).

Talibus textibus vix notis condiciones vitæ puero rum puellarumque melius exponi, mihi persuasum habeo. Itaque spero fore ut lectoribus et auditoribus non tantum metum et horrorem afferant, sed etiam nova quædam edoceant. ☐

-
1. Textus acroasis in seminario Erycino habitæ (8.8.02). Ceterum versio aucta edita est in commentariis Nederlandicis quibus nomen Hermeneus : Chr. Laes, Kinderen, ongelukken en bijzondere sterfgevallen in de Romeinse Oudheid, in *Hermeneus* 74, 5 (2002), p. 365-375. Imagines, etiam imago Isidis in tegumento monstrata, excerptæ sunt e : E. Doxiadis, *Portraits du Fayoum. Visages de l'Egypte ancienne*, Paris, Gallimard, 1995.
 2. Hannawalt (1986).
 3. Flinterman (2000). Textus editus est in illa collectione c.n. TAM (*Tituli Asiae Minoris*) 4, 1, 134

BIBLIOGRAPHIA

- K. Bradley, Children and dreams, in S. Dixon (ed.), *Childhood, Class and Kin in the Roman World* (Londini, Neo-Eboraci, 2001) p.43-51.
 H.-J. Drexhage, Unfälle im Römischen Ägypten, in *Anagennesis* 4 (1986) p.17-24.
 C.A. Forbes, Accidents and Fatalities in Greek Athletics, in *Classical Studies in Honor of W.A. Oldfather* (Urbanæ, 1941) p.50-59.
 J.J. Flinterman, ‘Westenwinden waaien over een desolaat landschap’. Aardbevingen in Klein-Azië in de eerste eeuwen van onze jaartelling, in *Hermeneus* 72,5 (2000) p.275-284.
 H. Gallego Franco/ M.R. Garcia Martinez/ F. J. Garcia de Castro, « Mortes singulares » : un estudio social en relacion a la evidencia epigrafica en el occidente romano, in *Historia Antiqua* 22 (1998) p.361-370.

H. Gallego Franco/ M.R. Garcia Martinez/ F. J. Garcia de Castro, « Mortes singulares » : testimonios epigraficos en el Occidente romano, in A. Alonso Avila/ S.C. Ortiz de Zarate/ T. Garabiot Gomez/ E. Solovera San Juan (ed.), *Homenaje al profesor Montenegro. Estudios de historia Antigua* (Valladolid, 1999) p.473-486.

D. Gourevitch, Quand les Romains maltraitaient les enfants, in *L'Histoire* 261 (2002) p.82-87.

A. Gunnella, Morti improvvise e violente nelle inscrizioni latine, in F. Hinard/ M-F. Lambert (ed.), *La mort au quotidien dans le monde romain. Actes du colloque organisé par l'université de Paris IV* (Paris-Sorbonne 7-9 octobre 1993) (Lutetiae, 1995) p.9-22.

B.A. Hanawalt, Childrearing among the lower Classes of Late Medieval England, in *Journal of Interdisciplinary History* 8,1 (1977) p.1-22.

C. Læs, Paides Aoroi. Kuieren langs graven van jongestorvenen, in *Hermeneus* 70,3 (1998) p.212-219.

R. Lattimore, *Themes in Greek and Roman Epitaphs* (Baltimore, 1942).

G. Nachtergæl, Un aspect de l'environnement en

Egypte gréco-romaine : les dangers de la circulation, in *Ludus Magistralis* 21 (1988) p.19-54.

T. Parkin, Out of the Sight, Out of Mind : Elderly Members of the Roman Family, in B. Rawson, P. Weaver (ed.), *The Roman Family in Italy. Status, Sentiment, Space* (Canberra, Oxomii, 1997) p.123-149.

W. Scheidel, *Death on the Nile. Disease and the Demography of Roman Egypt* (Lugduni Batavorum, Boston, Coloniæ, 2001).

CORPORA EPIGRAPHICA

CIL = Corpus Inscriptionum Latinarum (Berolini, 1863-).

CLE = F. Bücheler, *Carmina Latina Epigraphica*. Vol. I-III (Lipsiæ, 1896-1926).

Merkelbach = R. Merkelbach, J. Stauber, *Steinepigramme aus dem Greichischen Osten*. Band I (Lipsiæ, Stuttgart, 1998).

Véritrac = A-M. Véritrac, *Paides Aoroi. Poésie funéraire* (Athenis, 1978-1982).



Puer (c. 98-117). Londini in Museo Britannico.

DE SASSANIDARVM IMPERIO (II)

- *scripsit Gaius Licoppe* -


Præter bellum, Sassanidæ venationem valde amabant. Ingentia prædia circumsæpta possidebant, quæ appellabantur paradisi (Græce παράδεισος); huic vocabulo, origine Persico, Christiani significationem specialem dederunt. In paradisis reges aulariique et maiores et minores bestias venabantur, quæ in splendidis epulis comedebantur: onagros, cervos, apros, camelos, oryges, phasianos, otides...

Pavo et phasianus facti erant symbola immortalitatis.



Regia venatio in paludibus. A sinistris elephantes a rectoribus ducti apros exiungunt. In media scena rex navicula vectus duos apros sagittis necat. Eius navicula circumdatur scaphis musicorum plenis. Pisces et volucres inter plantas aquatiles adspiciuntur. Infra necati apri in elephantum dorsa attolluntur.

Sassanidæ reges non solum venabantur, sed etiam spectaculo hastiludii¹ delectabantur.



Hic ostenditur hastiludium, ubi rex Hormizd II (302-309) adversarium suum de equo deiicit. (Naqsh-i Rostam)

Pauca dicenda sunt de scientiis in Sassanidarum imperio; hac in re omnia fere veniunt ex orbe Hellenistico. Post Antiochiam anno 256 a Persis captam, eius incolæ in Persiam deportati sunt; novam

urbem incoluerunt a Sapore I non longe a Susis conditam, quam Veh-Andiyok-Shapur nominavit; in hoc nomine agnoscitur Antiochia. Ibi floruerunt res intellectuales et scientificæ. Ab eo tempore Aristotelis doctrina apud Persas innotuit.

In alia urbe, Djund-i Shapur nominata atque etiam non longe a Susis sita, erat schola medica, Græca doctrina imbuta. Reges Sassanidæ medicos Græcos arcessere solebant; nam Persæ mazdeismi præceptis vetabantur ne chirurgi fierent; eis etiam non licebat cadavera prosecare.

Anno 489 clausa est Hellenistica Schola Edessæ, cuius magistri et docti tunc se in urbem Djund-i Shapur receperunt. Idem fecerunt philosophi Scholæ Atheniensis, cum anno 529 iussu imperatoris Iustiniano suppressa est.

Sassanidarum imperium non solum Hellenismo affectum est, sed etiam Sinarum cultu, quibuscum a IV sæculo p.C.n. prosperam consuetudinem habuit. Irania enim sita est in media Via Serica, quæ ab historicis vocatur. Ineunte æra nostra, serica cœperunt e Sinis usque ad litora maris Mediterranei a mercatoribus afferri. Erant merces æque pretiosæ ac aurum. Metaxæ fabricatio tunc erat secretum a Sinensibus diligenter servatum. Tandem VI sæculo Persæ, paulo ante Byzantinos, secretum detexerunt atque bombyces alere




Hic sericus pannus adbuc servatur in Francogallia in abbatia Nostræ Dominæ de Jouarre, quo allatus est cum reliquiis sancti Prix (sic Francogallice vocati). Confectus est in Irania VII sæculo, ut demonstratum est methodo radiocarboni. Eius delineamenta constant e sex tangentibus circulis, quorum singuli circumdant phasiani imaginem phantasticam. Phasianus stat in scabello marginatis ornato. Nimbus, cui phasiani caput superponitur, est signum regale, quod Christiani sanctis divinisque personis tribuerunt. Etiam tenuia tribus pendentibus ornamenti prædicta, qua avis collum circumdatur, significat hoc animal ad prædiū regale pertinere.

cœperunt. Abhinc Persæ perpulchra serica, lineamentis artificiose ornata, conferunt, quorum nonnulla fragmента in thesauris ecclesiarum occidentalium servata sunt ; adhibebant enim ad reliquias Christianas ex oriente allatas involvendas.

Restat ut de Persarum architectura aliquid narremus ; est enim alicuius momenti, cum eius inventa postea propagata sint tum ad orientem cum ad occidentem.

Agendum est imprimis de tholis et cameris. Et Romani et Parthi valebant tholum imponere ædificio circulare et cameram ædificio quadrato. Eorum tamen struendi modi valde differebant ; Romani enim tholum vel cameram exstrebant in lignea fultura in fine operis removenda ; Persæ autem tholum et cameram multo leviorem solum lateribus exstrebant sine fultura, propter materiae inopiam in suis regionibus, ut videtur.

Tempore Sassanidarum, Persæ cameras exstrebere cœperunt iam non semicirculas sed parabolicas ; hac forma ita minuitur pressio cameræ in ædificio subiacenti, ut cameræ diametrum multum augeri possit. Hoc erat magno emolumento in palatiis, quæ sunt ædificia maxime præstantia ætatis Sassanidarum.




Hoc schemate ostenduntur cameræ parabolicæ, quales fuerunt in palatio Ardasiri I, regum Sassanidarum primi. Nigricolores delineamenti partes palatii ruinis respondent.

Notandum est pedem Romanum in mensuris non nullorum ædificiorum adhibitum esse, quod non mirum est, cum sæpe exstructa sint a captivis Romanis.

Ut supra diximus, multa tempora igni dicata exstructa sunt a Sassanidis ; deleta tamen sunt post Arabum Mahumetanorum invasionem, quare pauca tantum vestigia supersunt.


Omnia ignis fana partem communem singularemque habent, quæ vocatur « chahar taq ». Quinquaginta circiter huius generis structuræ in Irania inventa sunt.



Hoc photographema bicolorre ante annum 1908 factum est ; nam palarium quod Khosrovus I (531-579) sexto saeculo Ctesiphonte exstrendum curavit usque ad illum annum præbebat aspectum satis magnificentem, sed tunc propter vobementes inundationes magnam partem corruerat. Camera parabolica huius palatii diametrum habet plus 25 metrorum, quæ maxima est ætatis Sassanidarum.



Parietinæ ignis templi loco Kunar Siah bodie vocato.




« Chahar taq » constat e tholo in quadrato ædificio positio. Haec structura, e Romana provincia Syriae oriunda, a Persis multum adhibita et amplificata est.


In hac structura, forma circularis tholi primum imposita est in ædificio quadrato ; hæc difficilis coniunctio fieri potuit interposita parte, quæ parvæ apsidis aspectum præbet (Francogallice « cul-de-four » sive « conque »).

Structura « chahar taq » in palatiis invenitur multum amplificata. Ibi magna aula quadrata tholo tecta fulcitur quattuor alis concameratis. Est fastigium architecturæ Sassanidarum, quam postea Mahumetani in meschitis palatiisque ædificandis plerumque imitati sunt. Etiam Byzantinæ ecclesiæ cruciformes et tholo præditæ secundum hanc architectonicam methodum exstructæ sunt.

Inter alas concameratas nonnullæ sunt singulares propriæque Persarum ; quæ « iwan » vocantur.



Ardashir Khurrah de cælo photographata.



Mahumetani in Irania adoptaverunt et multum adibuerunt structuram « ivani », cuius exemplum bic videmus in magna Ispabani meschita.


« Ivanum » est structura concamerata et quadrata, cuius tria latera habent parietem, sed quarta late patet.

Sassanidæ, iam ab initio sui imperii, multas urbes sive ex nihilo exstruxerunt, sive funditus transformaverunt. Primæ habent formam perfecte circularem, cuius exemplum nobis præbet urbs Ardashir Khurrah (« Ardasiri gloria »), hodie Firuzabad vocata.

Hanc formam Mahumetana Abassidarum dynastia postea imitata est. Ardasiri tamen successores urbanis-
mum quadratum Hippodami Milesii adoptaverunt.

Longum est omnia scitu digna narrare. Satis multa tamen exposuimus, quibus patet momentum
Sassanidarum imperii atque mutuariam affectionem
cultuum Græco-Romani et Persici. ■

1. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediae et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, IV, p. 174 : hastilidium, certamen athleticum equitum hastatorum.



*Romani admirabantur maiestatem quasi divinam regum
Sassanidarum, qualis appetat, exempli gratia, in hac
Saporis II imagine argento cælata. Nonne Romani tem-
pore imperatoris Diocletiani sibi assumpserunt
Sassanidarum aulica sollemnia cum prosternatione ?*

DE NOVA MONETA EVROPÆA RECTE (QVANTVM LICET !) NOMINANDA

- *scripsit Robertus Deprez* -

victaque concessit prisca moneta novæ
(Ovidius, *Fasti*, I, 221)

« Quid ? Iterum symbola de nova moneta Europæa ? Nonne iam satis superque de illa re legimus et audivimus ? Bis repetita placent, sed centies repetita nauseam movent ! ». Scio, scio, optime lector, sed numerus symbolarum, quæ de hoc argumento iam scriptæ sunt, indicat quæstionem nondum solutam esse et fortasse non inutile est eam revolvere, cum iam nonnulli menses transacti sint post monetam officialiter impositam et usus locutorum Latinorum priores opiniones iam mutare potuerit ; quod tamen hilariter facere conabimur, ne ullo fastidio premaris ! »

Nova moneta Europæa multa emolumenta nobis attulit. Exempli gratia :

- Itinera multo faciliora facta sunt. Antea enim, si quis in aliena terra Europæa ferias agebat, ei opus erat semper mente computare ut omnia pretia in monetam suam permutaret, quod erat molestissimum. Nunc autem per totum anni tempus computando numerando permutando mentem nostram exercemus, et dum itineram nullam difficultatem iam experimur, nisi remotas terras insulasve abditas petimus, ubi pecunia nostra nondum viget, velut Britanniam Helvetiamque².

- Propter novam monetam communem valetudo civium Europæorum melior erit. Pretia enim permultarum mercium (præsertim ciborum potionumque) ut rotundarentur aucta sunt ; inde multo pauciores homines iis rebus, quæ valetudini nocent, abutentur.

- Si quis occasione festorum antequadragesimalium aliarumve festivitatum illos flocculos papyraceos, qui vulgo *confetti* dicuntur, in promptu non habet, potest pro eis proicere nummulus unius centesimæ, qui sunt eiusdem fere magnitudinis, eiusdem fere ponderis, eiusdem fere valoris atque ipsi *confetti*. Insuper varietate delectabitur ; nam post aliquot menses usus vix inveniri possunt duo huiusmodi nummuli cuprei qui adhuc omnino concolores sint.

Sed de emolumentis hactenus ; nunc de incommodis pauca dicamus oportet. Linguistica tantum attingemus incomoda, ne a scopo nostro nimium deerremus (si de omnibus incommodis tractandum esset, fasciculus specialis edendus esset).

Inductio novæ monetæ Europæa causa fuit multarum difficultatum, quarum nonnullæ omnino inexpectatae erant. Non solum enim (ut infra videbimus et omnes nos latinizantes iam bene scimus) ad finem vocabuli, quod est *euro*, pertinent, sed etiam... ad ini-

tium. In lingua nempe Francogallica, quotiescumque verbum quoddam a vocali incipit, iunctio fieri debet cum ultima consonanti verbi superioris, etiam si consonans illa non enuntiaretur in eodem verbo singillatim pronuntiato. Cum dicuntur exempli gratia *un ami* (amicus), *des amis* (amici), *un grand ami* (amicissimus), consonantes *n*, *z*, *t* respective enuntiandæ sunt ante *a* etsi nunquam audiuntur per se in verbis quæ sunt *un*, *des* et *grand* (= *un-n-ami*, *des-z-amis*, *un grand-t-ami*). Tales iunctiones omnino necessariae sunt ne enuntiatum absonum fiat, sed haud semper faciles sunt iis locutoribus, qui orthographiæ imperiti sunt... Donec moneta in Francogallia, in Belgica et in Luxemburgo *francus* vocabatur, locutores non nimis curare debebant quibus litteris nomina numerorum finirentur ; sed Kalendis Ianuariis huius anni, condicione subito mutatae sunt ! Et nunc aures nostræ sine intermissione torquentur audientes *buit-z-euros* (8 Eur), *vingt-z-euros* (20 Eur), *cent-z-euros* (100 Eur), etc... Si res ita perget (et cur non pergeretur ?) boni sermonis Francogallici fautores asylum phoneticum (non politicum, sed phoneticum !) apud Helvetios aut Canadianos querent³. Non ita pridem, postquam in pantopolio emptiones perfeceram et puella arcaria pretium solvendum mihi indicaverat, non multum afuit quin irasperer et ei dicarem : « Optima domina, nomen novæ pecuniæ non est *zeuro* sed *teuro* ! ». Et non multum a veritate erravisse, nam audii Germanos iocose monetam Europæam *Teuro* vocare, cum omnia pretia propter eandem, ut supra dictum est, aucta sint (Theodisce *teuer* = carus !).

Sed nunc in medias res veniamus oportet. Area Europæa ubi moneta communis viget ex 12 nationibus constat, quæ sunt : Austria Belgica Finnia Francogallia Germania Græcia Hibernia Hispania Italia Luxemburgum Nederlandia Portugalia (quæ et Lusitania a nonnullis vocatur). His nationibus verisimiliter aliæ aliquando annumerabuntur, non solum una alterave e tribus nationibus Unionis Europææ, quæ monetam communem hucusque recusant, sed etiam multæ aliæ nationes Europæ centralis et orientalis quæ mox Unionem introibunt (et revera in regionibus illis moneta Europæa, licet nondum officialiter, iam multum usurpatur sicut antea prisca marca Germanica). Cum area monetæ communis e multis igitur linguis constet, nomen *EURO* a principio creatum est ut sit omnino immutabile, ne difficultates oriantur quotiescumque negotiations nummariæ inter varias nationes geruntur. Hoc primum statutum est inter summum

conventum Matritensem (15. et 16. Dec. 1995), postea confirmatum definitumque variis occasionibus ; nomen non solum in casus non inclinare (in linguis quæ declinationes casuales habent) sed etiam ne signo quidem numeri pluralis mutare licebat (id quod in omnibus fere linguis de priscis nummariis appellationibus fiebat). Similiter *CENT*, quod erat nomen officiale centesimæ partis novæ monetæ Europææ, omnino immutabile erat. Argentaria Centralis Europææ dicitur multum incubuisse ut normæ tam strictæ promulgarentur, quæ opus suum facilius redderent. Sed statim apparuit per multa problemata oritura esse e talibus normis, quæ usibus linguisticis multorum sæculorum stulte contradicebant. Itaque iam a principio ius usurpandi signi pluralis in verbis quæ sunt *euro* et *cent* officialiter concessum est tribus linguis : Hispanicæ Francogallicæ Lusitanæ (sive Portugalicæ). Hoc fieri potuit quia in his linguis numerus pluralis sola littera *s* fini vocabuli adiuncta significatur, ita ut nomen ipsum *EURO* non tangeretur. In lingua tamen Italica, ubi numerus pluralis implicaret mutationem de *o* in *i*, *euro* in plurali non mutatur (non licet dicere « *euri* »*). Mirum in modum in lingua Anglica, quod sciam, usus litteræ *s* numeri pluralis nunquam officialiter admissus est, quamquam omnes anglophoni et loquendo et scribendo ea utuntur^{4,5}.

Multa dicenda essent de variis minoribus adaptatiibus quas usus activus in unaquaque lingua induxit. Pertinent :

- ad pronunciationem : vocabulum *euro* pronuntiatur secundum uniuscuiusque linguæ proprias consuetudines phoneticas. Accentus plerumque cadit in primam syllabam, exceptis linguis Francogallica et Græca. Econtra *cent* theoretice semper pronuntiatur more Anglico, sed ei revera pragmaticæ substituta sunt in multis Europæis linguis vocabula consuetudinibus magis idonea (Francogallice *centime* vel *longius eurocentime* vel etiam *centime d'euro*, Italice *centesimo*, etc. ; animadvertisse est iucunda appellatio deminutiva *eurocentje* [Latine dici potest : *eurocentesimula*] qua Flandri et Netherlandi, qui libenter huiusmodi formas deminutivas adhibent, sæpe utuntur : nonne cum nummularum gracilitate bene congruit ?). Græci dicunt *το λεπτό*, quod erat nomen centesimæ partis drachmæ.

- ad orthographiam : in lingua Theodisca *Euro* et *Cent* per *E* et *C* maiuscula scribuntur, in Græca, ut liquet, litteris Græcis (*ευρώ*, quod *evró* pronuntiatur; verbum *cent* in sermone Neogræco iamdudum exstat ad centesimam partem dollarii significandam et *σεντ*

scribitur, sed, ut modo diximus, de moneta Europæa ei substitutum est *λεπτό* [*leptó*]).

Quid autem de declinationibus ? In lingua Theodisca et in Græca nomen indeclinabile (cum in singulari tum in plurali) manet. Quotiescumque articulus usurpatur, casum et numerum satis perspicue indicat (*der, des, dem, den, die, der Euro* ; *το, του, τα, των ευρώ*). In lingua Dacoromana, quæ sola lingua Neolatina hodierna flexiones casuales servavit, *euro* similiter indeclinabile est. Mirabile dictu : cum nulla norma de hoc apud eos hucusque edicta sit, Dacoromani videntur hunc usum sponte atque naturaliter sibi assumpsisse propter automatam et quasi inconsciam imitationem usus sermonis Theodisci, cum, ut supra dictum est, moneta communis Europæa locum priscæ marcæ Germanicæ ibi occupaverit⁶ ! Sed res longe aliter se habent in lingua Finnica, cui, ut notum est, maior est casuum copia quam in ulla alia lingua Unionis Europææ. Itaque Finni nomen, quod est *euro* in nominativo singulari, pro linguæ suæ divitiis adaptaverunt (quod non significat eos ceteris Europæis ditiores esse, quod ad pecuniam ipsam pertinet) : nominativus pluralis est *eurot*, partitivus singularis *euroa*. Afferamus nonnulla alia exempla⁷ :

Tänään ostin seitsemän kasettia yhdeksällä eurolla
(adessivus singularis)
= hodie septem casetas novem euronibus emi.

Monet vanbukset eivät helposti totu euroihin (illativus pluralis)
= multi senes non facile euronibus assuescant.

Nuorille sensijaan eurojen käyttö on luonnollinen asia
(genetivus pluralis)
= iuvenibus autem usus euronum res naturalis est.

Kobta kukaan eurooppalainen ei tule toimeen euroitta
(abessivus pluralis)
= mox nemo Europæus sine euronibus se expediet.

Et nunc tandem ad linguam nostram Latinam veniam oportet... Iam ab ipso temporis momento, quo primum officialiter divulgatum est nomen futuræ monetæ Europææ (anno 1995, ut supra diximus), plerique docti homines et historiæ et litterarum et cultus humani amatores ægerrime tulerunt tam absonum atque detruncatum nomen ab Europæis moderatoribus electum esse. *Euroquid* ? Multi enim sperabant fore ut nomen e thesauro historicæ veterum nomismatum

Europæorum depromeretur, vel saltem ut *euro-* præponeretur nomini veræ cuiusdam monetæ, vel fortasse omnium monetarum, quæ iam exstabant (ita ut dicentur e.g. *euromarca*, *eurolibra*, *eurofrancus*, etc.). Sed politici et argentarii « eurocratæ », ut aiunt, statuerant simplicitatem unitatem facilitatem *suis* civibus impoñere. Scripsi « *suis* » nam, ut supra enarravimus, nomen immutabile *euro*, cui semper videtur terminatio quædam deesse, revera in multis linguis magnis cum difficultatibus usui aptandum fuit. Similia adaptationis conamina facta sunt inter latinitatis vivæ cultores, quæ possunt summatim ita recoli :

1) **euronummus**, i (m.) initio a multis usurpatum est. Appellatio hæc liquido nata est e supradicta necessitate nominis cuiusdam præverbio *euro* adiungendi. Ita necessitates cum sermonis naturalis tum nominis immutabilitatis servantur : *euro* et *nummus* in unum vocabulum coalescunt ubi neutrum indolem suam amittit. Alia vocabula similiter composita proposita sunt : *europecunia*, *euromoneta*, etc. Sed *euronummus* auribus Latinis melius sonat, cum sit iam exemplum antiquum præclarum *trinummi*, quo comoedia Plautina prætitulatur. Nihilominus tales appellationes longiores evaserunt cum nova moneta, ineunte hoc anno, in usum effectivum inducta est.

2) **euronus**, i (m.) a Societate Latina Saravipontana propositum est (anno 1999 ; cfr. n.1 : VL 135 et 138). Nomen hoc dicitur factum esse ad instar aliorum nominum monetarum, quæ in *-nus* exeunt, quorum 39 exempla a Dce Sigride Albert proponuntur e lexico Du Cange excerpta⁸. Sed, si exceperis unum alterumve exemplum quod est adiectivum e nomine imperatoris regulariter derivatum, pleraque nomina illa ad infimam mediævalem latinitatem pertinent et non possunt iustificare formationem vocabuli *euroni*. Revera *euronus* normis supradictis de immutabili novæ monetæ nomine nimis contradicit, cum sit littera *n* omnibus casibus addita, id est pars corporis ipsius verbi facta sit, id quod omnino nefas est. Ut enim didicimus ex exemplis e sermonibus vulgaribus Europæis supra allatis, nomen *euro* ipsum immutabile esse debet ; *terminaciones* sive *desinentiae* interdum addi possunt (quotiescumque regulæ grammaticæ atque necessitates perspicuitatis pro uniuscuiusque linguæ ratione id poscunt) sed *radix* verbi ipsa tangi non potest.

3) **europæus**, i (m.) Genovefa Immè (v. n.1 : M.A.S. 48) proposuit, quippe quæ existimaret nomen *euro* apocopen esse adiectivi *Europæi* quæ in omnibus Europæis

linguis valeret. Sed iterum incidimus in eandem difficultatem : cum *euro* audimus (præcipue antequam nomini huic assuefacti sumus) statim percipimus vocabulum detruncatum esse atque finem ei deesse, et rationabiliter compellimur aliquid addere ; sed hoc normis officialibus contradicit, cum sit vocabulum *euro* consulto electum atque confectum ut immutable atque intangibile esset. Insuper *europæus* potest causa ambiguitatis esse si e contextu non satis appetet id verbum ad nummos pertinere.

4) **euro, onis** (m.) primum in textu *Nuntiorum Latinorum* a statione radiophonica Finnica die 4 Ian. transmissorum apparuit, ac deinde cum ab eorundem nuntiorum redactoribus tum a permultis totius orbis latinizantibus late usurpatum est. Vocabulum hoc videtur sponte atque naturaliter, non tamen e theoreticis philologicis cogitationibus, creatum esse. Et revera optime congruit tam legalibus quam pragmaticis necessitatibus : *euro* iuxta normas officiales immutatum manet casu nominativo (sicut in lingua Finnica) sed omnibus ceteris casibus terminationem casualem perspicuum ac naturalem habet.

5) **euro** (n. indeclinabile) apud scriptores Vaticanos interdum legitur ; e.g. C. Pavanetto, *Congregati salutantur*, Latinitas MMII/I, p.5 §3 in fine : *Nonne gratissimum nobis esset invenire etiam in EURO inscriptionem quandam Latina lingua conscriptam ?*⁹. Hic usus normis legalibus Europæis stricte cohæret et hac de causa non est reprehendendus, sed difficile potest in usum cottianum recipi, cum necessario multas ambiguitates gignere possit ; non oportet enim prætermittere pleraque nomina quoque numerorum indeclinabilia esse in lingua Latina, id quod computationes nummarias maxime chaoticas faceret !

Quæ cum ita sint, aspirinum absorbeamus et de optima solutione eligenda cogitemus (medicamenta cariora facta sunt sed cogitatio feliciter adhuc gratuita est). *Euro, onis* videtur melius quam ullum aliud nomen exigentias normarum Europæarum necessitatibus sermonis Latini cottidiani conciliare ; radix verbi ipsa non tangitur et terminaciones tertiae declinationis quasi naturaliter omnibus casibus (solo nominativo singulari excepto) adduntur. Sciamus tamen oportet hoc quoque vocabulum artificiosum esse et rationibus psychologicis plus quam scientificis factum esse : vocalis *o* verbi *euro* apud locutores Latinos terminationem tertiae declinationis evocat, sed revera non est terminatio casualis sed pars integra radicis¹⁰. *Euronummus*, i et

euro invariabile usui minus convenient, sed fortasse usurpari possunt quotiescumque id cautius esse videatur (exempli gratia si cum hominibus, quibus nondum est consuetudo sermonis Latini vivi, communicamus). *Euronus*, i auctoritate Societatis Latinæ nititur et in usum iam aliquantum receptum est ; sed vocabulum hoc videtur nimis celeriter, omnibus multiplicibus rerum aspectibus variisque vulgaribus usibus non satis excussis, propositum esse. *Calepinus Novus*, qui liber recentissimum est opus lexicographicum hucusque editum et solum quod versionem Latinam verbi euro proponat, tres formas accipit : ¶ eurónus, i m. [S. Albert, « De nomine pecuniae Europæ », in : *Vox Latina*, 138, p.547] ¶ éuro, ónis m. [Nuntii, 4 Ian. 2002] ¶ euronúmmus, i m. [propositum a W. Jenniges]¹⁻¹².

Etsi moneta communis non sufficit ut Europa iam vera natio unita fiat, agnoscamus oportet eam unum esse e præcipuis subsidiis, quibus ad hunc scopum aliquando perveniamus. Moderatores nostros irridere solemus, et non sine causa, nam sæpissime stulte agunt... Novam monetam fingentes opus mirabile nimirum fecerunt, sed cur, mehercle cur aliud nomen non elegerunt ? ☺

1. Cfr. S. ALBERT : *De Pecunia Europæ*, Vox Latina 134 pp. 556-559 ; C. EICHENSEER : *De Nova Moneta vel Pecunia Europæ*, Vox Latina 135, p. 47 ;

G. IMME' : *De Nova Moneta vel Pecunia Europæ*, M.A.S. 48 (1 Sep. 1999), p. 16 ; S. ALBERT : *De Nova Pecunia Europæ*, Vox Latina 138, pp. 547-549 ; E.

PALMÉN : *Euro an Euronus ?* Melissa 107 (15 Apr. 2002), Vox Latina 148 pp.267-269 ; E. PALMÉN : *Euro an Euronus an Europæus ?* M.A.S. 56 (1 Mai. 2002) pp. 24-25 ; et valde timeo ne multa scripta omittam... Si quem auctorem omissione offendit, is in me nummum (potius quam lapidem, quæso) mittat.

2. Britannia insula facta est post ultimam ætatem glacialem, cum fretum Gallicum submersum est ; Helvetia autem anno 1995, cum Austria in Unionem Europæam admissa est.

3. Tales absonos pronuntiatus in ipsa televisione Francogallica (horresco referens !) audiit ; sed, ut sincerus sim, confiteor me præcipue in Belgica franco-phona eos audiisse, quæ (iterum horresco referens !) non est regio ubi puritas sermonis maxime colitur. Et exemplum ex alto procedit : minister enim publicus a rebus nummariis, qui merus Vallo francophonus est, legis peritus Leodiensis, et munere suo iam quartum annum fungitur, nondum didicit quomodo recte enuntianda essent verba, quæ sunt *million* et *milliard* (quæ in ore eius sæpius audiuntur !); pronuntiat enim ea tanquam *miyon* et *mijard* scriberentur... Quid melius ab humilioribus civibus exspectandum est ?

4. Cfr. in situ (sive sede) interretiali Unionis Europæa (europa.eu.int) iucunda symbola, cui titulus : *A fistful of euro or a fistful of euros ? That is the question...* in qua auctor (anonymus) non sine sale nos docet Commissionis

officium a textibus convertendis regulas ad usum interpretum scribarumque edixisse, quibus iidem rogantur ut in plurali euro scribant in scriptis internis, euros tamen in externis. Si Georgius Orwell adhuc viveret, hoc forsitan *dou-blewrite* vocaret !

5. Alii usus speciales de plurali inveniuntur ; e.g. in lingua Nederlandica nomen monetæ mutatur in plurali si ad nummos concretos sive nomismata pertinet, non mutatur autem si valorem quendam (i.e. pecuniae copiam) indicat : *ik heb twee euro's gevonden* = inveni duos nummos (unius) euro(nis) ; *ik heb twee euro op zak* = in marsupio habeo duos euro(nes).

6. Gratias plurimas ago Alexandro Vasile, optimo Latino sodali Dacoromanu, qui me de his omnibus certiore fecit.

7. Hic gratias plurimas ago Erico Palmén, docto viro Finnico *Melissa* lectoribus bene noto, qui exempla illa pro humanitate sua mihi obtulit (cum versione Latina, feliciter !) ; novissimo exemplo annotatunculam hanc adiunxit : *abessivus quidem unus est e rarioribus casibus linguae Finnicæ : euroitta plerumque compensatur elocutione præpositionali ilman euroja, que exacte respondet elocutioni Latinae sine euronibus ; forma euroja est partitivus pluralis.*

8. Cfr S. ALBERT, *De nomine...* (n.i.cit.). Exempla allata sunt hæc : *Coinus Compaignonus Constantinus Copkinus Dozenus Ducatonus Ernaudinus Florenus Holocotinus Januinus Joanninus Macelinus Malacbinus Malequinus Marabotinus Massemutinus Medinus Melequinus Meloquinus Morikinus Morlanus Mottænus Ottelinus Paparinus Papenus Quatrenus Quatrinus Raboinus Ranucinus Ravegnarus Rexanus Sacusinus Saracenus Taranus Tarenus Terdoninus Valerianus Victorinus Virlandus.*

9. In symbola citata Cletus Pavanetto comparatione uitur cum scidis dollariorum Americanorum, in quibus Latine scriptum est *e pluribus unum*.

10. Idem dici potest de aliis verbis a *Nuntiorum Latinorum* redactoribus confectis (et a multis locutoribus Latinis usurpati) velut e.g. *Nato, onis* : necessitates pragmáticas respiciunt, non rationes philologicas. Ita fit, velimus nolimus, in omnibus linguis vivis flexionalibus : Russica, Finnica... et Latina !

11. *Calepinus Novus, Vocabulaire latin d'aujourd'hui (Français-Latin), Vocabularium linguae Latinae hodiernum (Latino-Francogalicum)*, Ed. Fundatio Melissa & Musée de la Maison d'Érasme, sub verbo *euro (monnaie)*. Si quis (incredibile dictu) hoc opus nondum habet, mittat sine mora ad editores 25 euronnes vel euronos vel euroquodvult ut id accipiat. Qui 2500 nummulos unius centesimæ miserit, accipiet quidem Calepinum, sed in flocculos papraceos communitum. Nos enim in *Melissa* homines sumus gravitate Romana imbuti, et nugatores nequaquam amamus.

12. Gratias plurimas ago et Wolfgango Jenniges, philologo atque interpreti, qui plura perutilia me monuit ad symbolam perficiendam.

NAVIGATIO SANCTI BRENDANI (II)

- *historia mediævalis adaptata a Francisca Deraedt -*

Intrantes in oppidum viderunt aulam magnam ac instructam lectulis et sedilibus aquamque ad pedes lavandos. Cum resedissent, sanctus Brendanus suos socios monuit his verbis : « Cavete, fratres, ne satanas vos perducat in temptationem. Video enim illum ambientem unum e tribus fratribus, qui post nos venerunt e nostro monasterio, de furto pessimo. Orate pro anima eius. Nam caro eius tradita est in potestatem satanæ. » Illa domus, in qua residebant, erat ornata vasculis diversi generis metalli, frenis quoque et cornibus circumdati argento.

Tunc sanctus Brendanus dixit ministro suo, qui solebat panem apponere fratribus : « Fer prandium quod nobis Deus misit. » Minister statim surrexit, invenit mensam positam et linteamina et panes singulos miri candoris et pisces. Cum allata essent omnia, sanctus benedixit prandium et dixit fratribus suis : « Qui dat escam omni carni, confitemini Deo cœli. »¹ Residebant igitur fratres et magnificabant Deum. Similiter et de potu inveniebant, quantum volebant.

Finita iam cena et opere Dei completo : « Requiescite, ait sanctus ; ecce lectuli bene strati. Opus est vobis quiete, nam membra vestra sunt nimio labore fatigata. » Cum fratres obdormissent, vidi Brendanus opus diaboli, infantem scilicet Æthiopem, habentem frenum in manu et iocantem coram prædicto fratre. Statim sanctus surrexit et oravit usque ad diem. Iam vero mane, cum fratres ad opus Dei festinarent et postea essent ad navem ituri, ecce apparuit mensa parata sicut et pridie. Ita per tres dies et tres noctes Deus præparavit prandium servis suis.

FRENUM SUBREPTUM²

Post hæc sanctus Brendanus cum sociis suis proficiscens dixit : « Videte ne quis vestrum secum quicquam tollat ex hac insula. » At omnes responderunt : « Absit, pater, ut aliquid furti violet iter nostrum. » Tunc sanctus : « Ecce, inquit, frater noster, de quo heri locutus sum, habet frenum argenteum in sinu suo, quod hac nocte dedit ei diabolus. » Quibus auditis prædictus frater reiecit frenum e sinu suo et cecidit ante pedes viri Dei, dicens : « Peccavi, pater, ignosce. Ora pro anima mea, ne pereat. » Confestim omnes simul se prosternebant, precantes Dominum pro anima fratri.

Tum viderunt Æthiopem parvulum exslientem e sinu fratri, magna voce ululantem ac dicentem : « Cur me, vir Dei, expellis e mea habitatione, in qua iam septem annos habitavi, et me ab alienas ab hereditate mea ? » Quibus sanctus Brendanus respondit hæc : « Præcipio tibi in nomine Domini Iesu Christi ut nul-

lum hominem lædas usque ad diem iudicii. »

Brendanus se iterum convertit ad prædictum fratrem : « Sume corpus et sanguinem Domini, ait, quia anima tua mox egredietur e corpore. Hic enim habes locum sepulturæ tuæ. » Itaque accepta eucharistia, anima fratris egressa est e corpore, sub oculis fratum ab angelis suscepta.

PROCURATOR

Igitur fratres cum sancto Brendano pervenerunt ad litus eiusdem insulæ, ubi erat eorum navis. Ascendentibus eis in navem occurrit iuvenis³, cophinum panibus plenum et amphoram aquæ ferens. Qui dixit eis : « Accipite benedictionem servi vestri. Restat enim vobis longum iter usque dum inveniatis consolationem. Tamen neque panis neque aqua vobis deerit usque ad Pascham. » Accepta benedictione, coeperunt navigare in oceanum. Navis diverse ferebatur.

INSULA OVIVUM

Die quodam, non longe a se viderunt insulam⁴. Ad eam coeperunt navigare, prospero vento ita adiuti ut non esset nimis laborandum. Cum navis in portu constitisset, vir Dei omnes iussit foras exire. Ipse etiam egressus est post eos. Atque cum cœpissent insulam circuire, aquas largissimas, piscibus plenas, e diversis fontibus manantes viderunt. Tum sanctus fratribus suis dixit hæc : « Faciamus hic opus divinum. Sacrificemus Deo immaculatam hostiam, quia hodie est Cena Domini. » Et ibi manserunt usque ad sabbatum sanctum Paschæ.

Perambulantes autem illam insulam, invenierunt diversos greges ovium unius coloris... ■

(continuabitur)

1. Ps. 135, 25-26.

2. Freni aurea, argentea electrinaque erant magni momenti in supellecile veteris Hibernæ ; indicabant enim possessoris dignitatem. Furtum hic narratum est satis mirum, imprimis si cogitamus monachum rem non ita facile condere potuisse « in sinu suo ». Itaque commentatores putant « frenum » hic esse versionem cuiusdam veteris vocabuli Hibernici, quo significatur catena circumposita collo sive animalis sive hominis : potest ergo esse monile.

3. Ille iuvenis procurator in historia appetit per intervalla, ut cibos afferat viatores adiuvet ad iter inveniendum.

4. Commentatores putant eam esse unam ex insulis Danicis quibus nomen est Færøerne. Vide C. Egger, *Lexicon Nominum Locorum*, Officina Libraria Vaticana, 1977, p. 115 : Fær Öer, Insulæ Ovinæ, f. Hæ insulæ, in Oceano Atlantico, qua ad septentrionem vergit, sitæ, anno 801 a Normannis sunt inventæ et occupatae. Qui ibi ovium culturam exercuerunt ; ex quo insulæ ab iis vulgo appellatae sunt : fær (= ovis) – öe (= insula).

In hoc fasciculo !

De Latina consociatione condenda [G. Licoppe] p. 1

De Latinitatis provehendæ viis et ratione [V. Jenniges] p. 2

De pueris infortuniis occisis [Ch. Laes] p. 5

De Sassanidarum imperio (II) [G. Licoppe] p. 9

De nova moneta Europæa recte nominanda [R. Deprez] p. 12

Navigatio Sancti Brendani (II) [F. Deraedt] p. 16



LATINE LOQVI...

MELISSÆ NOVA SEDES INTERRETIALIS

<http://membres.lycos.fr/melissalatina>

<http://www.melissa.int.ms>

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

vos invitat ad sessiones Parisiis participandas his diebus : 18 m. Ianuarii, 8 m. Martii, 26 m. Aprilis, 14 m. Iunii a. 2003 in Instituto Universitario Sancti Pii x, 21 rue du Cherche-Midi, hora 14. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Dominicum Viain : dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Conventiculum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad undetricesimum agabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

habebitur mense Iunio anni 2003 in media Vasintonia Civitate (in America Septentrionali), moderantibus Stephano Berard, Terentio Tunberg et Iacobo Dobreff. Sessiones præparatoriæ : diebus 19 et 20 ; conventiculum : de die 21 usque ad diem 29. Quæ erit pulchra occasio et sermonis Latini exercendi et montium silvarumque lustrandarum. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem Stephanum Berard : sberard@wvc.edu

FERIÆ LATINÆ

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michælis Ferigoletensis, loco amœnissimo et quietissimo, a die 23 ad diem 30 m. Iulii fient feriæ æstivæ inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminaria Societatis Latinæ sunt prima huius generis, quæ inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P. C. Eichenseer et Doctrix S. Albert. ¶ Duo seminaria anno 2003 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 20-26 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maredolensi : 6-12 m. Augusti. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

SEMINARIVM VINDOBONENSE

institutum a L.V.P.A. et Fundatione Melissa, in Austria fiet a die 4 in diem 11 m. Augusti a. 2003 in monasterio Sanctæ Crucis, non longe a Vindobona. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Ingam Pessarra, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen (ipg@surfeu.de)

SEPTIMANA AMœNEBVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 27 m. Iulii ad diem 2 m. Augusti a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)

SOCIETAS INTERNATIONALIS STVDIIS NEOLATINIS PROVEHENDIS

duodecimum Conventum a die 3 ad diem 9 m. Augusti a. 2003 Bonnæ apud Germanos celebrabit. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem M. Laureys, Universität Bonn, Seminar für lateinische Philologie des Mittelalters und der Neuzeit, Am Hof, 1e, D-53113 Bonn.

SYMPOSIVM LATINVM

Arimini instituetur ab Academia Scientiarum internationali Sanmarinensi a die 1 ad diem 5 m. Septembris a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt acroasinvæ facere cupiant, scribant ad Veram Barandovská, Kleinenberger Weg, 16, D-33100 Paderborn (bbalar@hrz.uni-paderborn.de)